


IN TIT. DE VERB.
OBLIGATIONIB. LECTURA,

PER DN. VDALRICVM ZASIVM
IVRECONSULTVM, SVMMA FIDE AC DILL
gentia elaborata, atque nunc primum in singularem stu-
diosorum Iuris utilitatem ædita.

*Intellectus singulares, quos DR. ZASIVS antea excusis adijcere pridem
constituerat, non semel hoc in opere lectorem ad illos remittens, haud mul-
tò post ædemus, unà cum singularibus quibusdam responsis, &
antinomiarum dissolutionibus bene multis: quæ om-
nia recens inuenta, prioribus accedent.*



Cum indytæ Cæsareæ Maiest. & Christianiss. Regis
Galliarum privilegij.

BASILEAE, apud Mich. Isingrinium,
ANNO M. D. XL.

DN. VDALRICI ZASII
 IN TIT. FF. DE VERBORVM
 OBLIGATIONIBVS,
 LECTVRA



ITVLVS hic noſter habet amplam & altam mate-
 riam, ſubtilem & profundam, quæ in multis tranſcen-
 dit vires ingenij humani, ut ait Paul. de Caſt. in quo-
 dam loco. Iaſon, qui allegat Raph. Fulg. præfatur cir-
 ca hunc tit. non eſſe utiliorē in lure civili, & facile præ-
 ſtare quē Legiſtam, qui hunc tit. intelligat. quod non
 eſt mirabile: quia quicquid agimus, cōtrahimus, aut quæcunq; ſocietas
 civilis, quodecunq; cōmercium, omnia iſta per uerbum explicantur.
 Diuus Iacobus dicit in ſua Canonica, eum eſſe perfectū qui uerbo non
 labatur. Tanta res eſt nouiſſe quomodo obligemur uerbo uel nō: quia
 uerba ligant homines, taurorū cornua funes. quapropter iſte tit. eſt cū
 diligentia ediscendus. Verborū autem obligatio, præſertim nomē ob-
 ligationis, hic translaticie ſumitur, nō proprie: quia proprie hoc dicitur
 obligari, quod uincitur, ligatur uel circumligatur: ſicut apud Suet. Vi-
 tellius paſſus eſt ſibi uulnera obligari: & apud Q. Curtiū Amyntę prin-
 cipi obligabantur oculi, dum erat interficiendus. Recte ergo dixi, ſicut
 ea quæ ligant, dicuntur obligare: & uerba ligant, unde bene dicitur uer-
 borum obligatio tranſumptiue. Pro euidencia huius tit. uideamus
 aliqua genera conuentionū. Nam aliqua dicitur conuentio in genere,
 alia eſt pollicitatio, aliud eſt conſtitutū, aliud pactum, alia eſt ſtipulatio,
 & ultimo, alia eſt promiſſio. Iſta ſunt ſex genera in quibus cōuenitur &
 diſponitur in conuentu civili mortalium. Conuentio eſt multū genera-
 lis, & uelut generalisſima. Nam quicquid omnino placet, de qua cunq;
 re omnino mortales conſentiant, iſta dicitur uocabulo generali cōuen-
 tio, quæ poteſt fieri inter abſentes per epiſtolam, per nuncium, & om-
 nino quocūq; genere conſenſus habetis l. Labeo. ſuprà de pact. Eſt er-
 go conuentio nomen generis, ein gemeinlich weiteſſig wort. Alia dicitur
 pollicitatio. Iſta eſt quædam offerētis exhibitio, uel in abſentia alterius,
 uel altero nō acceptante. Hanc exhibitionem uulgò nominamus, uer-
 ba honoris. ſicut ſi ego dixerō ad uicinos, uel in conuiuiō, Amo Titū,
 ego providebo ei de ueſte: Titius hoc nescit, hæc eſt una pollicitatio. uel
 etiam ſi pollicear præſenti alicui, qui tamen non acceptet. de iſta pollici-
 tatione habetis in l. pactum. infra de pollicit. Hæc pollicitatio non ob-
 ligat, ne naturaliter quidem. erga quem enim obligaret, cum obligatio
 debeat eſſe reſpectiua: & licet Canoniſtæ uariant in c. ex parte. de cenſ.
 & ibi Butr. uolens quod de æquitate canonica liget, Abb. tamen con-